

ORATIO

AB UNOQUOQUE SACERDOTE ADORATORE POST EXPLETAM ADORATIONIS HORAM PRO SE SUISQUE CONFRATRIBUS DE CONSILIO RECITANDA.

Domine Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam tuam nos de mundo elegisti, ut ministros tuos et dispensatores mysteriorum tuorum nos faceres ; te deprecamur, ut nobis et omnibus sacerdotibus fidem et charitatem adaugeas erga mysterium fidei et donum tuæ charitatis, quod est Eucharistia.

Fac ut semper cum corde puro, conscientia bona et fide non ficta, hoc Sacrosanctum tractemus Mysterium et cum fiducia ad thronum gratiæ tuæ accedamus.

Fac ut, qui jam non servi sed amici tui dicimur, verba quæ loqueris nobis, ad pedes tuos vel potius juxta Cor tuum audiamus ; in primis adorationi intenti, spiritu amoreque tuo repleamur ; deinde, ministerio verbi et animarum saluti vacantes, omnia impendamus et superimpendamus ipsi pro gloria tua et honore nominis tui.

Fac ut cor nostrum sit semper ubi thesaurus noster est ; teque, qui nobis esse debes omnia, ut par est æstimando, omnia alia bono præter te arbitremur ut stercora.

Fac tandem, o bone Jesu, ut per Te, de Te, in Te vivendo, vita tua manifestetur in nobis et omnibus Confratribus nostris ; et ut, charitate ferventes, ignem amoris tui, quem venisti mittere in terram et qui in Eucharistia semper ardet et nunquam exstinguitur, in cordibus omnium accendamus : et sic semper et ubique et ab omnibus ametur, laudetur, glorificetur sanctissimum et divinissimum tui amoris Sacramentum. Amen.

